



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De cognatione spirituali. Consilium DXXXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

bitionem, d. c. In presentia, d. c. dominus; qualis si extaret pro corruptela & abusu reputari deberet.

3 Nec concedendæ huius licentiæ major est potestas, ex eo, quod venefica, & ex magicarum artium exercitio damnata sit hæc mulier. Nam etsi id satis idoneum sit ad thori, & cohabitationis separationem; ad matrimonium tamen dissolvendum non sufficit, etiamsi ad paganismum tendat huiusmodi maleficium; cum nec hæresis, nec paganismus in altero conjugum superveniens sufficiat ad dissolutionem matrimonii, multo minus ad potestatem alterum matrimonium contrahendi, c. Quanto de divorzio. Proinde dictus Henricus consultius faciet, si omisâ hac viâ contrahendi per licentiam & auctoritatem Episcopi, adhuc paulò maiorem diligentiam inquisitionis de morte suæ uxoris faciet, & indubitatis aliquibus circumstantiis animum suum obfirmabit; ut sine ulla hæsitacione credere, & sibi certò persuadere possit, illam esse mortuam; & sic aliqua maiore certitudine progredi ad matrimonium.

De cognatione spirituali.

S V M M A R I V M.

Cognatio an per Procuratorem contrahatur.

1. Cognatio spiritualis an in baptismo per procuratorem contrahatur quoad mandantem.
2. Cognationem spirituales an contrahat Procurator quoad seipsum.
3. Cognatio spiritualis ad baptismum necessaria non est.

CONSILIUM DXXXVII.

IVRIS admodum controversi articulus est, an procurator, qui ex mandato & nomine alieno, alicujus prolem in baptismo levat, efficiatur baptizatae prolis parentibus compater, & cum illis cognationem spirituales contrahat; quæ deinde matrimonium inter eos contrahi impediatur & contractum dirimat: ut ex cognatione spirituali generaliter fieri solet, c. 1. De cognat. spirituali lib. 6. Et tantò magis controversus est, quòd & parem controversiam habeat ille articulus, unde hic, qui proponitur, dependere videtur; an per procuratorem hæc cognatio spiritualis contrahi possit, ut inter mandantem & baptizatum, ac illius parentes sit eadem spiritualis cognatio? * In quo secundo articulo Doctorum opiniones varient: quibusdam existimantibus contrahi; ex regulâ generali, ut quod quis per se potest, per alium quoque explicare, & acquirere possit, cap. Potest de reg. iur. lib. 6. Cujus sententiæ auctorem Ioannes Andræ, in disputat. ad d. c. Potes, dicit esse Martinum de Sulmannis præceptorem suum; quem sequuti sunt Baldus, in l. iur. §. ne auctorem n. 16. C. De cad. tollen. & in l. Malum interest n. 9. C. Si quis alteri vel sibi (qui tamen variasse videtur, in l. Post mortem §. neque de adopt.) Cardinalis Zabarella, in c. Veniens De cognat. spirituali, Felinus, in c. Licet ex quadam n. 1. vers. & si diceret de testib. (ipse quoque sibi contrarius, in c. Ex parte decani n. 1. De rescript.) & Ioannes Antonius de Sancto Georgio Præpositus Mediolanensis,

in d. c. Veniens n. 2. in fine. Alii & quidem numero longè plures, ex adverso existimant, per procuratorem ad mandantem non transfundi hanc spirituales cognationem; quia actum corporum cuiusque proprium desideret, & sic alterius ministerio explicari non possit. Inter quos sunt Archidiaconus, in c. 1. n. 2. De cognat. spirituali. Ioannes Andræ, in d. disputat. ad d. c. Potes, Bartolus, Angelus Perusinus, Castrensis, Alexander, Franc. Aretinus, Iason, in l. Gallus §. forsitan de l. l. & possib. §. Jericus, in Rubr. De procurat. Philippus Francus, in d. c. 1. de cogn. spirit. Ioan. de Imola, in c. Accedens n. 22. De præben. Dominicus à Sancto Geminiano, in d. c. 1. n. 6. & cons. 110. Super ista supplicatione, Angelus Aretinus, in §. illud Inst. De nupt. Petrus Ancelranus, Ant. de Butrio, Henricus Bohic, in d. c. Veniens, Stephanus Aufserius, qui in Parlamento Tholosano ita conclusum fuisse scribit, decis. 157. Lud. Romanus, singul. 54. Oliverius Textor, in tract. de gradib. cognat. §. cognatio spirit. n. 62. Pet. Loricus, ad l. Non facile §. cognationis De gradib. affinit. Restaurus Castaldus Perusinus, in tract. de Imperat. q. 48. nu. 4. Ioan. Brunellus in tract. de sponsal. conclus. 20. casu 12. Did. Covarruvias, in epit. 4. Decret. p. 2. c. 6. §. 3. n. 6. Catellianus Corta, in suis Memorabil. in dict. Statutorum quo bannitur. Et inter Theologos eandem sententiam sequuntur Summa Sylvestrina, in dict. Matrimonium 8. q. 14. & Summa Rosella, in dict. Impedimentum 6. n. 18. Quam sententiam plerique, Iason in d. c. Forsitan, communiorum; alii etiam de iure veriorum, & tutiorum esse dicunt. Sunt rursus alii, qui distinctione inter procuratorem & nuntium factâ, per procuratorem negant, per nuntium affirmant, cognationem spirituales contrahi: quasi nuntius omnia in personam domini dirigat; procurator in suam personam, licet respectu mandati accepti. Alii denique, Panorm. in d. c. Veniens, addit ad prædictam Tholos. decis. 157. Summa Angelica in dict. Matrimonium impedim. 7. n. 14. existimant, prohibere quidem ne per procuratorem contrahatur hæc spiritualis cognatio, contractam tamen tenere: ut multa sunt, quæ fieri prohibentur, facta tamen tenent l. Iure furioso De his qui sui vel alieni iur. Sic ut in tanta opinionum varietate non omnino in expedito sit veritas juris: nisi quod (ut in aliis multis) ea in usu vincere videatur, quæ plures habet assertores, & pro communiore opinione reputatur; non contrahi scilicet cognationem spirituales per procuratorem.

Vnde relinquitur quaestio, anne saltem procurator ipse, qui alieno nomine id facit, compater, vel commater efficiatur? In quo rursus articulo, ut in præcedenti, diversæ sunt Doctorum opiniones: & sic quidem, ut cum præcedente opinione nulla sit conformitas. Nam illi, qui alium per procuratorem non effici compatrem putant, ne quidem hoc permittunt, ut procurator ipse sit compater; nihilque potius, quam aliquid quoad cognationem spirituales agi putant: quasi cum alteri illa acquiri non possit, nec eam sibi acquirit procurator; quia id non intendat neque ea intentione actum hunc explicet. Cujus sententiæ assertores (& quidem frequentiores) sunt Card. Zabarella

Zabarella, Pet. Ancharanus, Prapositus, d. cap. Veniens, Fred. de Senis, consil. 15. Philip. Francus & Dominicus Geminianus, d. cap. 1. nu. 3. & 9. De cogn. spirit. lib. 6. Paulus Castrensis, & Alexander d. §. forsan in fine & nu. 5. Did. Covarruvias, cap. 6. §. 4. nu. 7. in epit. secundæ partis de sponsals ad lib. 4. Decret. Summa Sylvestrina, in dict. Matrimonium d. q. 15. & Rosella, in dict. Impedimentum 6. nu. 19. Alii, & inter hos etiam illi, qui in præcedente articulo affirmativæ sententiæ auctores sunt, cognitionem hanc relinquunt a præcuratore, ne nihil actum dicatur: & cum ad aliū transferri non potest effectus ejus, quod agitur, apud eum resideat, qui illud explicat. Hi sunt Ioannes Andreæ, d. cap. Potest, Angelus Aretinus, in d. §. illud nu. 4. Ioannes de Imola in d. cap. Accedens nu. 22. Franc. Aretinus in d. §. forsitan, Panormitanus, in d. cap. Veniens. Non desunt tamen, qui ex distinguendum opinione in præcedente articulo vel nuntium a procuratore; vel tempus antecedens a sequenti separant, & distinguunt, Summa Angelica & Ioan. Brunellus locis supra cit. ut quod in præcedente, in hoc quoque articulo usu veniat. Sed quoniam assertorum in alteram partem, procuratorem scilicet non effici compaterem, aut commatrem, longè major est numerus, & hæc opinio consequi videtur ex assertionem illorum, qui contendunt per procuratorem alii acquiri cognitionem spiritualem, & sic suffragio utriusque opinionis adjuvatur, & in ratione deficientis voluntatis fundatur, l. Multum interest C. si quis sibi vel alii, existimamus in casu proposito, nullam faciendam esse separationem matrimonii, quod mulier, quæ nomine alterius prolem suscepit, cum patre baptizata proles contraxit; idque bona fide, consulto prius suo Parocho, num id liceret: qui consultis iurisperitis, ex sententia negantium, responsū accepit; inter ipsam, & patrem baptizati nullam cognitionem spiritualem esse. Nam quamvis in facienda electione verioris opinionis, illa primū arripienda sit, quæ in usu est, & consuetudine approbatur, l. Mimime, l. si de interpretatione de legib. & sint, qui existiment, in priore articulo per procuratorem contrahi hanc cognitionem de facto, & ex observantia inter Principes, Bald. in d. §. ne autem. Ang. Aretinus in d. §. illud, non perinde inter alios, Franc. Aretinus in d. §. forsitan: nemo tamen est, qui dicat in posteriore articulo (de quo hic quaritur) consuetudine aut observatione aliqua approbari, quod procurator efficiatur compater, cum ex adverso usus, & communis opinio hominum, huiusmodi procuratorem pro compatre aut commatre non habeat. Sic ut usu negativam partem approbante, illius eligendæ major sit occasio. * Potissimum quia ad essentiam, seu substantiam baptismi, contractus compaternitatis seu cognationis spiritualis non sit necessarius: nam si non baptizatus baptismi assistat, & prolem levet, nulla est dubitatio, quin baptismus teneat; sed tamen assistens, seu levans non efficitur compater, Summa Sylvestrina in dict. Matrimonium d. q. 7. vers. duodecimo si non baptizatus.

De cognatione spirituali.

S V M M A R I V M.

Matrimonii impedimentum ex compaternitate.

1. Cognatio spiritualis olim contrahatur inter susceptum & suscipientis liberos.
2. Cognati statim cognatorum seire præsumuntur.
3. 5. 11. Testis de auditu quando fidem mereatur.
4. Notorium allegari debet.
5. Fama cum testimonio de auditu quomodo probet.
6. Testis deponens per verbum, videtur, quid mereatur.
7. Iuramentum in supplementum probationis deferendum probanti per unum testem.
8. Confessio creditoris extrajudicialis præsentis fidei fore facta, prædest debitori absenti.
9. Iuramentum non deferendum in causa matrimoniali.
10. Confessio extrajudicialis parti absenti non nocet.
11. Index non suggerere, sed interrogare debet.
12. Restitutio in integrum conceditur adversus confessionem.
13. Negationis pena quando locum habeat.

CONSILIUM DXXXVIII.

NULLAM Iuris difficultatem, sed facti tantum questionem habet causa, quæ coram Venerabili Viro D. Officiali Cameracensi per tutores prolium quondam Stanislai Vogelwyter & Domicellæ Elisabethæ Penfart conjugum instituta est adversus Domicellum Ioannem Baptistam de Taxis, secundum maritum præfatæ quondam Domicellæ Elisabethæ, super nullitate matrimonii inter dictum Domicellum Ioannem & Domicellam Elisabetham contracti.

Nam quamvis hoc manifestum & indubitatum sit, secundum antiquos canones, cognitionem spiritualem impedire ac dissolvere matrimonium nedum inter levantem, sed etiam inter liberos levantis prolem ex sacro baptismatis fonte, & illum, qui ex fonte baptismatis levatus est, c. Super eo, c. fin de cognat. spirit. c. 1. eod. tit. lib. 6. (quod per Synodum Tridentinam postea aliquatenus mutatum, sess. 24. de reformat. matrim. cap. 2.) non constar tamen per sufficientem & idoneam partis agentis probationem, quod D. Guilielmus Penfart, pater præfatæ Domicellæ Elisabethæ, dictum Domicellum Ioannem Baptistam secundum Elisabethæ maritum in baptismate levaverit, & suum alumnū seu patrinnū fecerit; ita ut ex defectu iustæ probationis, Reus ab objectâ nullitate matrimonii absolvi debeat. Cujus quidem defectus demonstratio quamvis ad oculum & ex prima testimoniorum, quibus Actores in hac causa utuntur, lectione appareat: sollicitudini tamen ac diligentia Rei subservientes, ad illustrationem causæ, & Venerabilis D. Officialis sublevamen, conferemus ac discutiemus agentium testimonia, quibus solis ad probationem Actores utuntur; nullis prolatis instrumentis aut aliis adminiculis. Inter tredecim testes, quos Actores produxerunt, quidam sunt, qui nihil prorsus deponunt, quos ideo præterimus: ut sunt Emerentiana quarta, Alecydis sexta, Guilielmus septimus, Margareta nona, Elisabeth undecima, & D. Rogerius duodecimus: præterquam quod præfatus D. Rogerius

rius